

ATHILA HVNNVS.



A Thila Manduci filius Hunnica arma primo
longe lateque sub arcto & Aquilone circum-
tulit, ita ut huius viri nomen non solum ingens, sed
formidolosum omnibus gentibus toto ferè Septem-
trione subacto extiterit. Erat is brevi statura, paten-
ti pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus
barba, simo naso, tetro colore, incessu superbus,
oculorum aciem huc illuc toruè circumferens, exta-
batque in ipso motu corporis animi elatio. Erat bel-
licè rei studiosissimus, consilio pollens, & pruden-
tia rara. Eius maiores cum Hunnis gente Scythica,
anno Christi circiter 300. Gothorum populū,
qui circa Istrum agebant, bello aggressi, multis pre-
lijs fatigatos sibi uectigales fecerat, & tandem suis sedibus expulerant.